APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

JOHANNES EL. QUIDING,

BLEK.

DIE 16 DEC. 1840.

P. XL.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Divitias et magnam potentiam hominem neque per se felicem, nec sorte sua contentum reddere posse, et ratio et experientia loquuntur.

II.

Bella, quæ propter religionem geruntur, sæpissime atrociora esse aliis testatur Historia.

III.

Magnam vim habet scientia Mathematica eaque pars imprimis, quæ Geometria dicitur, ad juvenile ingenium acuendum.

Punctus XCVIII.

Item quod casus papales et episcopales et casus ex quibus incurritur excommunicatio, et quod jura vel statuta in ecclesiis cathedralibus publice proscribantur, quos quilibet curatus habeat, sciens quod a nullo casu excommunicationis, præterquam in mortis articulo, auctoritatem habeat absolvendi.

Punctus XCIX.

Item damnantur et reprobantur sortilegia, incantationes, divinationes, somniorum interprétationes et quæcunque literæ cum characteribus et ignotis vocabulis, in sacris scripturis non expressis, quos quidam existimant valere contra ignem, aquam, gladium, et alia mortis pericula et membrorum.

Punctus C.

Item omnes scripturæ in plumbo, oblationibus et parietibus contra dolorem dentium, febres aut alios quoslibet morbos hominum vel jumentorum.

Punctus CI.

Item omnes modi, quibus nituntur homines occulta furta quomodolibet investigare.

Punctus CII.

Item observationes dierum Ægyptiacarum pro operibus inchoandis et alia hujusmodi deliramenta, quæ non plene explicari possunt. Quæ si quis inventus fuerit agere, uti, vel portare, tanquam pro gravi peccato mortali puniatur cum pœna trium marcarum.

Punctus CIII.

Item declaratur ex eodem, quod nullam laici habeant auctoritatem, super bonis ecclesiasticis judicandi, et diffiniuntur judicia, quæ ecclesiis abjudicarint sua bona per laicos attemptata, jure canonico esse nulla, et protestantur existentes in concilio quod et si per taciturnitatem non contradixerint talibus judiciis, in quantum juri canonico et libertati ecclesiasticæ sunt contraria; non intendunt consentire, propter defectum justi-

tiæ et raritatem placitorum regalium, vel ea quomodolibet approbare, et se occursuros protestantur tempore opportuno judiciis taliter attemptatis.

Punctus CIV.

Item ex statuto, quod incipit: *Quoniam non debet* &c. assumitur festum Annæ per totam provinciam, et pro festo terræ; qvod licet revocatum fuerit, quoad solennitatem pro festo terræ, in statuto: *In Nomine Domini, Amen. Anno Domini* &c. et in recompensam institutum festum Annæ in crastino nativitatis Mariæ in ecclesia duplex, cum Octavis: tamen iterum ex statuto: *In Nomine Domini, Amen. Nos Nicolaus* &c. assumitur pro festo terræ.

Punctus CV.

Item quod nullus suffraganeorum concedat literas quæstus quæstoribus sine Archi-episcopi et omnium suffraganeorum scitu et consensu; et revocantur omnes usque tunc concessæ et admissæ.

Punctus CVI.

Item prohibentur curati ne aliquos quæstores in parochiis suis admittant sine literis diœcesanorum.

Punctus CVII.

Item quod advenæ et ignoti adducentes secum aliquas mulieres ad parochias curatorum, nisi testibus vel literis docuerint se legitime conjuncto, non permittantur divinis interesse nec admittantur ad eucharistiæ perceptionem, nisi in mortis articulo; et curati, quam cito ad notitiam eorum devenerit, infra mensem præpositis ruralibus tales in suam parochiam venisse intiment, sub pœna trium marcarum; et quod curati tales permittentes interesse divinis, toties quoties, simili pœna puniantur.

Punctus CVIII.

Item quod historia: *Sacerdos novæ gratiæ*, cantetur in festo visitationis Mariæ, donec melior poterit inveniri.

Punctus CIX.

Item mandatur curatis, ut statuta prioris concilii una cum statutis illius concilii sibi procurent infra synodum diœcesanam tunc proximam, sub pœna trium marcarum.

Punctus CX.

Item clerici et laici se percutientes motu iræ, et invicem se componentes, et communicantes sine aliqua absolutione habentis potestatem absolvendi ultra pœnam juris, in tribus marcis puniantur.

Punctus CXI.

Item ex statuto: *In Nomine Domini, Amen. Anno a nativitate ejusdem,* disponitur quod aliquis de quolibet capitulo mittatur ad curiam regis, qui negotia suæ diœcesis ibi valeat promovere.

Puectus CXII.

Item excitantur episcopi et capitula vigilare pro inquirendis et exterminandis usuris, exequendo pœnas juris et statutorum contra usurarios, et mandatur observari statutum regis Magni contra usurarios editum, et publicari, et inseritur tenor statuti regalis tenori statuti concilii, et in effectu continet pro arenga tenorem Cap. *Usurarum* de usur. in 6to et præcipitur, quod mutuum dantes non ineant pactum super augmento sortis, et quod fructus et redditus pignorum computentur in sortem, deductis expensis necessariis; non obstante promisso, juramento vel obligatione, quacunque firmitate vallatis.

Punctus CXIII.

Item quod debitores satisfaciant creditoribus in bonis mobilibus, quam diu sufficiunt; deficientibus illis, in prædiis satisfaciant; et ipsa, ne devolvantur ad extraneos, propinquis et cognatis venalia primum exhibeantur, secundum legum sanctiones.

Punctus CXIV.

Item existimaut *lestam ordei* in superiori Svecia ad XV. marcas. Item quod in parochialibus ecclesiis in majoribus solennitatibus publicentur pœnæ usurariorum, et enumerantur ibi pœnæ juris, quæ habentur in Cap. quanquam de usuris in 6to et Cap. Qvia X de usuris quas nos sub titulis convenientibus hujus summationis collocavimus juxta earum convenientiam. Quæ repetuntur in concilio, quod incipit: *In Nomine Domini* &c. quarum aliquas sub hoc titulo subnectemus, quæ sub aliis titulis non sunt collocatæ; quia hic congruentius ponuntur. Et primo usurariis debet denegari corpus Dominicum. Item quod nullus eorum

confessiones recipere audeat, vel eos absolvere, nisi ante satisfecerint de usuris, vel sufficientem cautionem dederint de satisfaciendo. Nec possunt facere testamentum, ut prænotatur.

Punctus CXV.

Item profitentur se Archi-episcopus et suffraganei nolle in visitationibus, excedere numerum equorum, a jure taxatum, sicut nec debent, promittentes se velle uti pabulo moderato, maxime caristia imminente. Item quod omnes moniales provinciæ includantur. Item quod omnes prælati instent pro reformatione *Kyrkie-Balken.*

Punctus CXVI.

Item assumatur per provinciam in sabbathis diebus *Stella Mariæ matris* &c.

Punctus CXVII.

Item quod notorius concubinarius debet talliari per suum episcopum, cum consilio sui capituli, ad majorem summam pecuniæ, quam exsolvere potest de bonis popriis, ad pios nsus, cum scitu sui capituli convertendam; et imponi debet sibi pœnitentia salutaris. Qualiter autem post talliationem contra eos procedetur, habetur supra Membr. III. Punct. XIV.

Punctus CXVIII.

Item concubinis presbyterorum debet imponi publica septennis pœnitentia.

Punctus CXIX.

Item quod cancellarii episcoporum pro literis ordinationis non recipient ultra unam oram: pro literis indulgentiarum non ultra dimidiam marcam: et pro literis collationis beneficiorum pinguiorum non ultra XII oras, mediocrium vero non ultra unam marcam. Super aliis literis, secundum quod plus vel minus laboris impenderint, duximus eorum conscientiis relinquendum.

Punctus CXX.

Item ex statuto: *In Nomine, Domini, Amen. Anno Domini,* &c. disponitur, quod deputetur unus prælatus et unus canonicus apud quam-